

DECISIONES
DIVERSORVM
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
AUDITORVM

Alibi non impræssæ, selectæ

*Ad interpretationem diuersorum Statutorum Alma Urbis
in duobus Tomis Commentatorum,*

À FRANCISCO MARIA
CONSTANTINO

L. V. C. NOBILI DE ASCVLO IN PICENO,

Comite, & Equite Palatino, olim in Tribunali Gubernatoris Urbis Locumtenente Civiti, exinde
in Curia Capitolijs Secundo, mox Primo Collaterali, & Iudice, in Romana Curia
Aduocato, vno ex Agentibus Communitatum Status Ecclesiastici Sacri Palatii
Pontificij causarum Patrono, ac Illustrissimæ Congregationis
Oeconomicæ eiusdem Palatii Secretario.

*Triplici Indice super illis exarato; Primò Decisionum per Dioceses;
Secundò Argumentorum; & Tertio Materialium, Conclusionum,
ac Verborum locupleiissimo.*

Positis quoque nonnullis additionibus ad aliquas decisiones.



ROMÆ, MDCCII.

Sumptibus Francisci Ant. Galleri Bibliopolæ ad signum Navis.

Ex Typographia Ioannis Francisci de Buagnis. Superiorum Permissu.



LECTORI BENEVOLO.

PRODIT in lucem, publicique sit iuris, Lector humanissime, hic ordine, atque editione postremus Tomus, sed voluntatis destinatione præcipuus, atque primus. Multiplices inter modos, quibus aliqua alijs priora censentur, primatum Dignitatis Aristoteles numerat, talis itaque primatus habita ratione, primus esto tibi Tomus iste postremus, atque itidem postremi sunt alij duo priores. Et iure quidem, meritoque. Etenim in prioribus illis exitis Ingenij mei, & segniter humi repentis conatus humiles deprehendes; Vnde quod mireris, aut laudes, occurret propemodum nihil, multum sanè, quod pro humanitate tua humaniter, vel excuses, vel ignoscas. At in hoc postremo, culmen, atque decus vniuersæ descriptionis meæ, auctoritas, & oraculum Sacræ Romanæ Rotæ circumquaque effulgebit. Huius enim vero Rotæ momentis, & firmamenti mea passim verba, animique mei sensa passim nituntur. Huius Rotæ Sapientissimis, non dicam Voluminibus, sed Luminibus (Siquidem toto illo corpore oculis pleno, quod in circuitu Rotarum vidit Ezechiel, etiam Romanæ Rotæ oculatissimam mentem, quodammodo adumbratam putauerim) in album candidissimæ veritatis, in scopum integerrimæ æquitatis collimare semper studui, & quidem re ipsa felicissimo profus coniectu me collimasse non dubito; Dum scilicet tripodem tantam, tantæque rectitudinis normam tam certam, trutinam tam veracem, toto Christiano orbe spectatissimam, & clarissimam; inter differendum, interque scribendum obsequentissimam Assecla profector, veneror, admiror. Hæc videlicet Rota solidissimæ, semperque manantis in Urbium, & Populorum utilitatem doctrinæ, fons iugis est. Hæc Doctorum, ac Iure Consultorum Magistra. Hæc corina Iuris, & æqui, atque omnis in humana Republica honestatis. Hæc Rota ab inconstancia fortunæ non voluitur, sed à robore Veritatis, Iudicij, ac Iustitiæ. Quadrigarum rotæ ad pondus indirectum super illis sedentium, vel franguntur, vel reuoluuntur, ab Rota hæc, à Sapientissimis, ac rectissimis illius Moderatoribus directæ, nunquam vertitur in obliquum. Exulant ab hac Rota Aquilones, ac procellæ Amoris, Timoris, Odij, Præcum, ac Mænerum & Celsissimi Patres in ea sedentes, tanquam stabiles Cedri in Libano, à procellis huiusmodi non quatuntur, sed incorruptè, ac sanctè, cum solius æquitatis, ac Iustitiæ sine, perpetuò Rotam reuoluant; Huic Rotæ non sine præclaro mysterio duodecim ab vniuerso Catholico Orbe præeliguntur morum candore, eminentique scientia Excellentissimi, ac Sapientissimi Viri, qui vice Romani Pontificis causas audiunt, ac definiunt, & tanquam luminaria supra Montem posita, vniuerso Orbi, ac omnibus hominibus lumen præbent. Decebat enim, quod Rotæ Arcopagum vndequaque perfectissimum, duodenario numero perfectionis Symbolo illustraretur; Annus quippe duodecim constat mensibus; Dies in duodecim partitur horas, iuxta dictum Evangelij. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* tamen commodioris vsus gratia, eodem numero duodenario duplicato, in viginti quatuor horas naturalis dies hodie numeretur; Hæreditario Assi Iura Ciuilia duodecim constituere vncias. Totius humanæ vitæ terminus in duodecim partes diuiditur; In Sacris Eloquijs duodecim vtriusque ex singulis Tribubus legitur mandatum, vt duodecim lapides ex flumine collerent, quibus enunciantur duodecim Sacrosanctæ nouæ Legis Apostoli, Evangelij enuncianti Præcones, ac vniuersalis Iudicij adfuturi Assesores; & per hos duodecim Sacræ Rotæ Auditores Iustitiæ, ac Æquitas ab Apostolicæ Sedis fastigio profuscas, per vniuersum Orbem diffunditur. Nouimus propterea, vel ipsas Purpuratorum Patrum Sacras Congregationes, atque ipsam adeo Apostolicam Sedem, in gravissimis causis, & implicatissimis magnarum rerum anfractibus, non semel Romanæ Rotæ consuluisse sententias, eiusque vltro, & firmiter resolutionibus inhæsisse. Vt paucis non pauca complectar: ipsemet Romanus Pontifex causas in Camere Tribunali pendentes, & ad suum Fiscum, atque Ararium spectantes per Sacræ Romanæ Rotæ suffragia non semel definiti præcipit, atque mandat. Quia etiam (quod adhuc mirabilius putes) ipsas in Sacris Congregationibus latas semel sententias, causasque ad tantæ Auctoritatis, & Sapientiæ calculos maturè perpensas, ac definitas (si quid ancipitis subinde turbationis, aut nodosæ perplexitatis in articulis Iuris contingat) idem Summus Pontifex iterum recognosci quandoque iubet non sine suffragijs Romanæ Rotæ. **O Tribunal venerandum: O Incoactæ veritatis, & iustitiæ magisterium sublime! O Sedes Augustissima Lyceis omnibus, omnibusque Athenis, atque Exhedris Arcopagitarum omnibus præferenda!** Cui tantum honestamenti, & ponderis sua mee auctoritate, atque æstimatione, vel ipse Petri successor, & Christi Vicarius tribuit. At enim aliquam inconstantiæ labem, in ijs, que semel prodierit, decisionibus, Romanæ huic Rotæ Censor fortasse quispiam obiecerit; perinde quasi retrogradus iste motus ad mutandum, quod fuit antea constitutum, tantæ auctoritatis, & grauitatis Rotam minus deceat. Censuræ huius asperitatem, ac dixerim propè sciticiam, nemo rationis compos non videat. Pulchrè Fabius Quintilianus, & rectè, in primis inter illustria, quæ in suis Oratorijs Institutionibus protulit veterum Sapientum Encomia, Sapientissimum illud, ad aliquot eorum culpas excusandas, temperamentum apposuit: *Summi fuerit, sed homines tamen.* Æquius dici, aut sapientius nihil poterat. Quis enim non errat mortalis? Sapientem, inquit Philosophi, nunquam errare verum est; At quis Sapiens, nisi Bonus; Quis Bonus, nisi solus Deus? Enim vero plusquam humana ab hominibus exigere, exactioris est inhumani. Deprædicanda quidem semper, mirisque laudibus extollenda sit præstantissimorum Sacræ Rotæ Auditorum in consilijs suis Prudentia, in sensibus Sapientia, in Sanctionibus Æquitas, ac Iustitia. Verumtamen nouisse illud etiam, ac meminisse oportet, quanta ad Sacrosanctum illud Tribunal causarum multiplicitas, quam obscura, quam anceps, quam tortuosa, & penè inextricabilis dissentionum, & questionum moles vndequaque frequentissimè denoluatur. Præstio quidem sane Aduocati, & Causarum Patroni disertissimi, & quos de causis differentes, arguentes, redarguentes, obiectantes, responsantes, olim ad vnum diem, nunc ad biduum audiri moris est. Sed quid tandem porrectum, vel bidui spatium ad innumera illa, atque im-

DECISIONES

DIVERSORVM

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ

AVDITORVM

Alibi non impressæ.

*Ad diuersa Capita Statutorum Almae Urbis in duobus Tomis
Commentata, nec non ad Iuris communis
interpretationem accommodata.*

Cum additionibus ad aliquas Decisiones.

R. P. D. CORDVBA:
Illerden. Statuti.

Veneris 3. Decembris 1593.

ARGVMENTVM:

Capitulum sine auctoritate Episcopi potest condere statuta, non tamen super residentia, & statu Ecclesie, præcipue adiecta pœna rigorosa in fauorem ipsorum statuendum applicanda, nec etiam sub prætextu consuetudinis, si hæc non sit quadragenaria, & cum titulo.

S V M M A R I V M.

- 1 Canonici possunt sine auctoritate Episcopi in eorum Ecclesia facere statuta.
- 2 Non tamen possunt sine tali auctoritate facere statuta super residentia, & statu Ecclesie.
- 3 Statutum adiecta pœna non possunt Canonici facere ex defectu iurisdictionis, quam solum habent Sede Episcopali vacante.
- 4 Capitulum potest facere statuta super eo, per quod reditur ad ius commune, & sic contra consuetudinem de non residendo.
- 5 Residere tenentur Canonici de iure communi.
- 6 Statutum super residentia non habens rationem iusti impedimenti, est iniustum.
- 7 Consuetudo tribuit iurisdictionem.
- 8 Statutum super non residentia dicitur contra ius.
- 9 Consuetudo statuta condendi contra ius debet esse quadragenaria cum titulo.
- 10 Statutum per quod Capitulum se subtrahit à solutione debita non est iustum.
- 11 Pœna imposita per Capitulum in statuto, debet conueniri in utilitatem Ecclesie, non ipsorum Capitularium.
- 12 Pœna apposta in statuto, damnando non tendat in odium particularis personæ, & sit rationabilis, tenet.

Tom. III.

DECISIO I.

Ad Stat. Urb. in Prælat. Art. I. Tom. I.



Te Veneris 3. Decembris proposui dubium; an valeat statutum factum à Capitulo Illerdenense, quo statuitur, vt si Præcentor non fuerit præsens in Choro festis duplicibus ad omnes horas tam diurnas,

quam nocturnas per se, & non per substitutum multetur tribus ducatis pro vno quoque die applicandis Canonico, qui seruitium fecerit, & quod teneatur presentare subcentorem idoneum, admittendum à Capitulo, qui seruiat singulis diebus in Choro, & assignetur illi salarium quadraginta ducatorum: Domini dixerunt, prædictum statutum non valere, quia licet Canonici quarumcumque Ecclesiarum possint facere in Ecclesia sua statuta sine auctoritate superioris, cap. cum omnes de Constit. glos. in cap. 2. verbo statutum, vers. si vero statuatur de verb. signific. in 6. Ferret. conf. 286. tamen non possunt statuere super residentia, vel super statu Ecclesie sine consensu Episcopi. Auchar. in repetit. cap. 1. q. 6. & n. 105. de Constit. Butr. in cap. constitutus n. 25. de rescript. Oldrad. conf. 181. glos. verbo statutum in cap. 2. de verb. signif. in 6. Felin. in cap. cum omnes n. 7. in princ. de Constitut. Abb. in cap. cum consuetudinis n. 4. de Constit. ; maxime quia statuit circa impositionem pœnæ, quæ est iurisdictionis, & non cadit in Capitulares, nisi Sede vacante, vt post Federic. de Sen. conf. 16. notat Felin. in dist. cap. cum omnes n. 9. in fine, & n. 10. vers. quarto est aduertendum.

Non obstat, quod Capitulo competat facultas statuendi super eo, per quod reditur ad ius commune, & sic contra consuetudinem de non residendo Abb. in dist. cap. cum omnes in 2. notab. 2. lectur. n. 6. in fine, vers. secundo noto, Felin. n. 7. & 8.

A

Andr.